

figmenta sua abutuntur, superstruentes ei sua numerorum naturae et historiae systemata. Est autem annus magnus illud temporis spatium, quo una polorum mundi super eclipticae polis contra successionem signorum absolvitur revolutio, sive quo puncta aequinoctialia motu retrogrado per integrum circulum feruntur. Constat hic annus annis solaribus, quibus vulgo utimur, 25920 circiter, habetque in chronologia mystica non solum diem suum proprium, sed etiam hebdomadem, de quorum temporum quantitate tamen inter auctores chronologiae mysticae non convenit.

3.

Unus eorum *) mansionibus seu stationibus lunae, quae sunt quaedam zodiaci partes, numero 28, in subsidium vocatis diem anni magni eo temporis spatio circumscribit, quo puncta aequinoctialia per unam istarum mansionum moventur, ideoque illi 882 annos adsignat. Hoc temporis intervallum in Iudaeorum historia utramque paginam facere perhibet. Verum et numeris 18 et 49, ex quibus in se invicem ductis numerus 882 producit, magnam auctoritatem tribuit. Ex eo autem, quod annus aerae nostrae 1834 vel 1836 secundum diem ab excidio templi secundi terminet, coniecturam facit, istum annum quum Iudaeorum genti tum in universum motibus circa religionem natis decretorium fore. Decursum porro hebdomadis mundanae ita defuit, ut initium eius in annum 3453 a. C. constituat, feriam autem illius septimam anno 1839 p. C. incepturam adfirmet, eumque annum, cui etiam multa alia praeludant, itidem memorabilem praedicat. Praeterea in templi Hierosolymitani dimensionibus

*) Quae iam sequuntur placita et decreta, ea ab auctoribus suis, Cell. Mollio et Schuberto, illo Professore Stuttgardensi, hoc Erlangensi, accepta cum orbe erudito communicavit Cel. Pfaffius et ipse Professor Erlangensis in libro, in quo inter alia astrologiae patrocinium suscepit, quique hoc anno prodiit Bambergae sub titulo: *Das Licht und die Weltgegenden samt einer Abhandlung über Planeten-Conjunctionen und den Stern der drey Weisen von J. W. Pfaff.*